



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

41. Constitutio Episcopi Apamiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

336 Dissert. I. § VIII. Documenta ex Gallico

Venerabili Fratri Francisco Episcopo Apamieni
INNOCENTIUS Papa XI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedic-
tionem. Perlegimus litteras Fraternitatis tuae, in qui-
bus afflictum Apamensis Ecclesiæ statum, & tuum pro-
pterè dolorem Nobis ob oculos ponis; qua de re, Pasto-
ralem zelum, & solicitudinem magnopere commenda-
mus, & eodem tecum sensu affecti, non cessamus à Patre
misericordiarum, pro muneri Nostri debito, postulare,
ut pristinam Ecclesiæ isti tranquillitatem, dignitatēque
restituat, ac Nobis lumen ad ea decernenda, exequendāq;
suppediter, quæ cum tuæ, tum universæ Ecclesiæ rationi-
bus expedire videbuntur. Reliqua ab eo cognosces, qui
tuas Nobis litteras reddidit; tēque, atque invictam Episco-
palis roboris constantiam, quâ cæteris prælues, intimo
charitatis affectu in Domino complectentes, Fraterniati
tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impetrurus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anno Pi-
scatoris. Die x. Decembris 1679. Pontificatus Nostri anno IV.

Marius Spinula.

Documentum XLI.

Constitutio Ejusdem Illustrissimi Episcopi
Apamensis.

7. Febr. 1680.

Franciscus miseratione Divinâ Episcopus Apamens. &c.
Constitutiones à nobis nuper promulgatae, quibus pro-
eul arcebamus, qui in Dioceesi nostra Regalia obtenu-
Beneftia quædam impetraverunt (cùm tamen constet, præ-
fatam.

fatam nostram Dioecesin hujus servitutis penitus imminem
esse, nec proinde Regaliae subiecti posse, nisi violatis quam-
plurimis Sacris Canonibus Regumque Edictis) adeo apud
quorumdam avaros, ambitiosos, ac Beneficijs Ecclesiasti-
cis inhiantes animos nihil effecere, ut potius reperti sint
(quod non sine animi dolore intelleximus) qui Regaliae
obtentu etiam ad Beneficia curata adspirare, & illa obtinere
sint conati; id vero omni exemplo caret, ac etiam, ubi
alias Regaliae locus est, numquam haec tenus usurpatum.
Eo igitur temeritatis deuentum est, ut in caprandis Bene-
ficijs Ecclesiasticis nullus sit regulis aut pudori locus, & quia
hujusmodi intrusionibus sistendis nulla amplius remedia
superstant nobis, quam auctoritas Episcopis a Deo tributa,
censuræque Ecclesiasticae, ultima vid. Ecclesiæ remedia, &
quibus non iij solùm coerceri debent, qui aliunde quam per
legitimam ac Canonicam januam Ecclesias irrumunt, sed
illi etiam, qui ita irrumptibus auxilia & consilia submini-
strant; ideo ex his alijsque causis Constitutiones nostras
jam alias editas renovamus, ac insuper sub poena Excom-
municationis ipso facto incurrendæ omnibus cuiuscunq[ue]
dignitaris ac conditionis personis districtè prohibemus, ne
Dignitates, Prioratus, aliisque Beneficia curam animarum
annexam habentia pro se aut alijs titulo Regaliae petere,
aut impetrare præsumant: neque, aut suo, aut aliorum no-
mine eorum Possessionem adeant, aut fructus seu mediatè,
seu immediatè percipient. Prohibemus etiam æquè sub
poena Excommunicationis cuiuscunq[ue] statutis ac condi-
tionis personis, ne scienter ac voluntariè sub quovis præ-
textu aut colore, Notarij vid. Testis, Emphyteuta, Sub-em-
phyteuta, aut alijs quavis ratione, ad actus & usurpationes
supranominatas auxilium, consilium, aut favorem præ-
stent.

338 Disert. I. § VIII. Documenta ex Gallico
stent. Reservamus etiam nobis, præterquam in articulo
mortis, absolutionem à præfata poena Excommunicationis.
Apamij 7. Febr. 1680.

Franciscus Episcopus Apamensis.

Documentum XLII.

Alia Constitutio Ejusdem Illustrissimi Episcopi
Apamensis, quâ omnes Fideles suæ Dicecessis ad publicas
preces aliâque pietatis opera placandas Divinæ indigna-
tioni exhortatur.

22. Febr. 1680.

Franciscus, &c. Clero Populoque Apamensi salutem
& benedictionem. Tam manifesta sunt indignationis
Divinæ hanc nostram Diœcesis punientis argumenta & ef-
fectus, ut oporteat aut cæcum esse, qui ea non videt, aut pla-
nè insensibilem, qui illis non intimo dolore conficitur. Ec-
clesiarum Pastoribus ultima ferè necessitas incumbit offi-
cio suo abstinendi, omittendique sanctiores quâque fun-
ctiones, imò eorum nonnulli, qui alioqui se totos addixe-
sunt curandis animabus, coguntur gregem suum frequen-
ter deserere, necessitate alimenta mendicandi, id quod sine
dedecore sacri characteris, sine damno quamplurimum ab-
que Sacramentis decedentium, sine juventutis neglegē-
necessariâ instructione parentis, ac denique sine infinita
morum corruptela fieri haud potest. Hæc omnia inde pro-
veniunt, quod legitimi ac canonice instituti Pastores redi-
ditibus sustentandæ vitæ necessarijs priventur; quamvis
nec ad istos solos hæ miseriacæ pertineant, sed etiam ad ma-
gnam partem eorum pauperum, qui charitate Ecclesiasti-
corum fovebantur.

Equi-